



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

VII. Beneficio effecto litigioso, & postea per obitum Papæ vacante an
Cæsar alteri Præces conferre possit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

Germonius tract. de Indult. Cardin. §. volumus autem, nu. 49. ubi ex Gemina in cap. si compromissarius, §. & idem de Electio. scribit, quod commissio alicui facta de providendo intelligi debeat cum effectu. Confirmatur per notata Jo. Mon. in cap. sicut nu. 9. de verb. signif. in 6. quem ibi sequuntur Io. And. & Domin. ubi si Episcopus habeat privilegium cum temporis præfinitione, ut possit eligere quatuor clericos suis obsequijs insistentes, qui percipiunt fructus suorum beneficiorum in absentia, illosque eligat, demum alter eorum cedit, vel decedit, certè loco illius alium potest surrogare, c. sicut, §. in annos 2. resp. ff. quib. mod. usufructus amittatur, Staphil. tract. de prerog. expectat. Probatur insuper à simili; nam patronus laicus potest plures præsentare, donec actus fuerit plenè consummatus, Abb. in cap. quanto Col. C. de iudic. glos. in Clem. 1. verb. simul vel successive eodem tit. Neque præmissis adversatur, quod omnis dispositio intelligenda sit de prima vice, l. boves, §. hoc sermone. ff. de verb. signif. quia Cæsar non intendit nisi semel conferre, dummodo plenè & effectualiter contulerit, & hoc est potius accumulatio ad primum jus, quam variatio. Quæ conclusio etiam obtinet in iure Regaliæ, quo Rex Galliæ toties conferet, quoties vacaverit, donec & quovisque jus ipsum Regaliæ plenè sit ad effectum deductum, Arnulphus Razaus tract. iuris Regaliorum privileg. 2. num. 5. & seqq.

SEXTO quæritur, an si beneficium, ad quod Precista nominatus est, eisdemque exinde collatum, fiat litigiosum, & pendente lite Precista moriatur, aut juri suo cedat, Cæsar possit alteri Preces conferre, seu alium surrogare? Ita videtur: argumento ducto à Regalisticis ad Precistas, Philip. Probus tract. Regal. q. 30. qui utitur hac si ratione: de jure enim communi videmus, quod si electus lite pendente moriatur, aut cedat, vel electioni non consentiat, electio ad eligentes revertitur, cap. 1. de restit. in integrum, & cap. si electio de electio. lib. 6. & licet hæc jura loquantur in electionibus, idem tamen dicendum in collationibus, cap. 1. ut lite pendente in 6. quia si pendente lite alter colligantium moritur, collatio ad eum, qui prius jure proprio non devoluto contulerat, revertetur: Nec refert quod ista jura loquantur in Collatoribus Ecclesiasticis, quia idem observari debet in Cæsare, qui jus suum metitur à Papa, Reg. qui in alterius ff. de Reg. juris, à cujus Indulto fit, ut beneficium sit illi affectum, quoad usque collatio per ipsum facta fuerit suum plenum & pacificum sortita effectum, ut prædiximus. Nam alias Precista nunquam esset pacificus, quia ordinarij Collatores (qui cane peius & angue odio habent Precistas) molestias semper exhiberent Precistis non facturi si videant, quod si lite pendente moriantur, collatio precum Primariarum ad Cæsarem revertetur. Quæ etiam ratio militat in Regalisticis, ut si is lite pendente cedat vel decedat, Rex possit beneficium litigiosum conferre, nec dicetur his contulisse, quia hæc collatio est quædam surrogatio, quæ censetur eadem cum prima. Sed hoc Galli notent, quos remitto ad Philip. Probum tract. juris Regal. q. 30.

Beneficia
affecta li-
tigiosa &
postea per
obitum
Precista
vacante
an Cæsar
alteri præ-
ces con-
ferre possit.